

70
79
MxR F.R. 70.

Zf
3840

21



S O N N E T

GRATVLATIONES.



JEAN ERDMANN COMTE DE
PROVINTZ





S O N N E T.

Quel plaisir n'ai-je pas de te voir dans l'Arène,
Déployer ton savoir, qui jusqu'ici caché,
Aux Doctes maintenant se montre dévoilé,
Et remporter le prix de cette illustre Scène.

Tes principes très clairs, n'ont rien qu'on ne
comprende,
Le sophiste subtil est par toi rembaré
Il cède à tes raisons, et d'un ton égaré
Il ne veut plus mêler sa force avec la tienne.

Reçois donc WEGENER les Honneurs qu'on te
rend,
Dans Notre Athènes viens glorieux triomphant:
Ceci t'ouvre un chemin à plus d'une couronne.
Travaille sans cesser de te faire valoir
Rempli tout l'Univers de ton brillant savoir
Agrée ma louange & celle qu'on te donne.

JEAN ERDMANN. COMTE DE
PROMNITZ.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQUE CANDIDATO
ERNESTO WEGNERO,

S. P. D.

IO. GOTTL. HEINECCIUS, IC.

Quem hodierno die capeffis, honorem, eum TIBI non sine incredibile voluptate gratulor, CANDIDATE CLARISSIME, non quidem vt obtemperem consuetudini, quae aliquando ab adfentatione parum abest, fed, vt publice exftet hoc qualecumque amoris erga TE mei monumentum. Si enim nihil est, quo magis delectemur, quodque omnes cupiamus vehementius, quam vt liberi nostri ad probitatem, virtutem, honestasque artes bona fide instituantur: nemo profecto est, cui ego me plus debere fatear, quam TIBI, qui ante plures annos, docendi munere in paedagogio REGIO cum laude perfunctus, vtrumque filium meum ita imbuiſti bonis litteris, atque ita ad veram laudem cohortationibus TVIS exacuisti, vt inſigne illud beneficium nulla vmquam ex animo meo obliteratura ſit obliuio. Iam TE, per cultiores Germaniae prouincias meditantem iter litterarium, vaſaque conclamantem publico testimonio proſequitur ordo noster, quamuis eo facile carere potuiſſes ex mea quidem ſententia, partim quod, quocumque fueris loco, virtus illa TVA, et inſignis, quam tot vigiliis TIBI peperisti, eruditio pro testimonio omni exceptione maiori futura ſit, partim quod non poſſit non ille ſua probare omnibus, qui ea ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOQUE COMITI DE PROMNITZ, illuſtriſſimoque eius FILIO, incomparabili academiae noſtrae ornamento, ita tot annis probaſti, vt TE iam non ſine laude et aegre quidem e familia ſua dimittant. Sed iam itineri accinctum non ſolum TE votis proſequor, fed et pro amicitia noſtra cohortor, vt praeclara illa doctrina TVA aliis quam plurimis prodeſſe ſtudeas. Quod dum TE cupere non ignoro, rerum omnium arbitrum DEVM, vt TIBI campum, in quo virtus TVA excurrat, ampliffimum aperire velit, ex animo precor. Halae v. Non. Octobr. MDCXXXVII.

Vere ſcribere TE fatetur orbis,
Recte ſcribere TE ſophi fatentur,
Docte ſcribere TE fatebor hoſtis,
Ergo quid ſupereſt? Bene ac beate
Succedat, ter amicus apprecabor.

ad opponendum inuitatus haec gratulaturus
ſcripi

SIGISM. IAC. BAUMGARTEN.

Theol. Prof. Ordin.

PK 2.4 3840
V. 18
x 3577387

DOCTISSIMO DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PETRVS Georgisch, I. V. D.

Summi a Fridericianae nostrae inclito Sapientum ordine Tibi decernuntur honores; de quo exultim laetor: eos vero in Te conferri ob singularia in omnem fere eruditionem merita Tua, de eo impense Tibi gratulor. Et quemadmodum illi, qui absque meritis superbire solent meris titulis, sapientum ac cordatiorum ludibrio exponuntur: ita illi e contrario duplici honore digni reputantur, qui meritis prius, quam dignitatum schematibus, conspicui esse malunt. His omni iure ac summa laude accensendus es, Amice integerrime. Noui Tuos haud vulgares in omnibus fere eruditorum artibus ac scientiis profectus. Eximiis praeconiis eos extollerem, veritate ac iustitia testibus: nisi singularis Tua, qua laudaris, modestia stilum institutumque meum serio cohiberet. Cohiberi tamen eo usque nequit calamus, quo minus tribus saltem, quod aiunt verbis palam profiteatur: multos nominari Philologos, Philosophos, Mathematicos, Historicos, quibus Tu palmam praecipis omnino. Quapropter collatam in Te dignitatem Tibi et gratulor, et, vt sempiternae laudi Tibi sit iste honor, exopto, quemadmodum id omnino futurum spero, confido, praeuideo; qui de cetero fauori Tuo me et in posterum commendo quam diligentissime. Dabam IV. Non. Octobris MDCCCXXXII.

Nemo bonus gratis. Nam mens sincera quietem,
Solamen gratum, praemia larga, refert.
Nec operas Musis litans impendit inanes:
Oblectant et alunt, dant decus eximium.
Horam IV restis. Grator quos ambis honores
Adprecor et paucis prospera quaeque TIBI.

C. F. v. D.

TE TVA defendent, TVA TV, CLARISSIME, saluus
Ac felix maneat, dum TVA vera manent.

M. ALEXANDER GOTTLIEB
BAVMGARTEN.

Opp.



Mr F.R. 70.

Zf
3840

21



SONNET

Un plus n'est pas de son d'Ar...

TVLATIONES.



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches

Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

JEAN BRIDYAN
PROMI

